

DROMGETHES GOTHORVM IN SCYTHIA REX.



Dromgethes ob eximiam probitatem & in rebus agendis dexteritatem post Sitalchum rex Gothorum creatus est, eo tempore quo Lysimachus fortissimus princeps proximos Scythiae populos regendos suscepisset, qui prius ferum leonem deuicerat. Is Alexandri præcepti immemor, qui Gothos uitandos cœluit, eos bello laceſſere ausus fuit. Itaque Dromgethes magno animo ei obuiā progressus, in aperto loco eum fortiter excepit. Ibi commisso prælio uictoria apud Gothos fuit, atque Lysimachus uiuus in eorum potestate uenit. Cum aut̄ Dromgethes Lysimachi eruditonem et fortitudinem cognouisset, ipsum hospitaliter donatum & amicitia sibi deuinctum amissæ libertati restituit. Sunt quidā qui hunc Dromgethem Thraciæ regem constituerunt: uerūm Iordanes & Strabo eum Getarum regem fecerunt. Ioan. Mag. lib. 3. cap. 14. Hist. Goth.